



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De resurrectione & iudicij conditione. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Hic ad finē
apologia pro
libris ad
Pammachi-
um, tom. 1.
1. Tim. 3.
Ca. 7. conc.
Necasar.*

*Super epist.
1. Cor. 7.*

*Au. in enc.
ca. 84.*

*Isa. 29.
1. Theff. 4.*

testatur Hier. Ego nunc libera voce exclamo, nec
damnari in Ecclesia bigamam, imo nec trigamam
& ita licere quinto & sexto, quemadmodum se-
cundo marito nubere. Apo. tamē bigamos à sacer-
dotali honore excludit. Sed hoc non facit pro vi-
tio bigamiæ, immo pro sacramenti virtute, ut sit
vna vnus, sicut vnica vnici. Illud tamē Casariē
conciliū videtur innuere, bigamiam esse peccatū.
Presbyterum, inquit, in nuptiis bigami prandere
non conuenit: quia cum pœnitentia bigamus in-
digeat, quis erit presbyter, qui talib⁹ nuptiis pos-
sit præbere consensum? Sed hoc de illo intelli-
gi potest, qui primæ vxori insidiatus putatur deside-
rio secundæ: vel pro signaculo sacramenti illud di-
citur, quod in bigamo non seruatur. Ambr. etiam
dicit, quod primæ nuptiæ tantum à domino sunt
institutæ: secundæ vero sunt permittæ. Et primæ
nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur subli-
miter: secundæ vero etiā in presenti carent gloria.

DE RESURRECTIONIS ET IUDICII

Conditione.

DISTINCT. XLIII.

Postremo de conditione resurrectionis, & modo
resurgentium, nec non & de die iudicij & mise-
ricordiæ qualitate breuiter differendum est. Om-
nibus quæstionibus, quæ de hac re moueri solēt
satisfacere non valeo, resurrectionem tamen car-
nem omnium quicumq; nati sunt atq; nascētur, &
mortui sunt & morientur, nullatenus ambigere
debet Christianus. Ait enim Elaias. Resurgēt mor-
tui, & resurgent qui erunt in sepulchris. Et Apost.
Nolumus vos igno. frā. de dorm. vt non con. sicut
& cæteri, qui spem non habent scil. resurrectionis.
Hoc enim vobis di. in verbo do. quia nos qui vi-
ui re. su. non præ. eos qui dor. Quoniam ipse do.
in iussu & in vo. ar. & in tu. Dei descen. de cœ. &
mor. qui in Christo sunt, re. primi. Deinde nos qui
vi. qui

vi. qui relin. si ra. cum illis in nu. obui. Christo in
aera: & sic semper cum domino erimus. His verbis
& veritas resurrectionis, & causa atque ordo re-
surgentium præclarissime insinuatur.

De voce tubæ.

B

Causa enim resurrectionis mortuorū erit vox
tubæ, quæ in aduentu iudicis ab omnibus audie-
tur: & cuius virtute excitabuntur mortui, & de
monumentis resurgent. Vnde propheta, Dabit
voci suæ vocem virtutis, id est, effectum resusci-
tandi mortuos. Et Ioannes Euangelista ait, Venit
hora in qua omnes, qui in monumentis, sunt, au-
dient vocem filij Dei, & procedent qui bona fece-
runt in resurrectionem vitæ: qui vero mala ege-
runt, in resurrectionem iudicii. Si vero quæritur,
cuius vel qualis erit vox illa? Apost. dicit quod e-
rit a changeli, id est, ipsius Christi, qui est princeps
archangelorum, vel vox erit alicuius, vel plurium
angelorum. Eadem dicitur tuba: quia erit mani-
festa & nouissima, quia post eam non erit alia. Hæc
tubæ (vt ait August.) est clamor: de quo dicitur in
euangelio, Media nocte clamor factus est, ecce
sponsus venit: exite obuiam ei. Tubæ nomine ali-
quod euident & præclarum signum intelligitur.
Quod vox archangeli & tuba Dei ab Apost. dicitur,
in euangelio vox filij Dei & clamor appella-
tur: quod signum mortui audient & resurgent.

De media nocte.

C

Media a. nocte dicitur venturus, vt Aug ait, nō
pro hora temporis: sed quia tunc veniet, cum non
separatur. Media ergo nocte, sc. cum valde obscu-
rum erit, id est, occultum veniet. Dies enim domi-
ni, sicut fur in nocte ita veniet. Potest tamen non
incoꝑrue intelligi mediz noctis tēpore venturus,
quia vt ait Cassiod. Hoc tēpore primogenita Æ-
gypti percussa sunt, quando etiā sponsus venturus
est. Pluribus etiā locis contestatur auctores, quod
aduen-

Psal. 67.

Ioan. 5.

1. Thess. 4.

1. Cor. 15.

Aug. epist.

120. ad Ho-

noratum. c.

34. Matt. 25

1. Thess. 4. d

Matth. 25. d

1. Thess. 5. d

Versu Me-

dia nocte

surgebam.

super octona-

rium. 8.